

A N D R E Æ
V A L L E N S I S

Vulgo del Vaulx Andanensis,
JURIS UTRIUSQUE DOCTORIS,

Et in Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum
Professoris Ordinarii,

P A R A T I T L A
J U R I S C A N O N I C I .

S I V E

D E C R E T A L I U M

D. G R E G O R I P A P Æ I X.

Summaria, ac Methodica explicatio.

O P U S N O V U M . I S C H O L E , A C F O R O . E T D E C R E T I S
Concilii Tridentini accommodatum, hac postrema editione magno studio
correllum, nec non triplici INDICE locupletatum.



V E N E T I I S M D C C X L V

Apud LAURENTIUM BASILIA
S U P E R I O R U M P E R M I S S U M . A C T U A

AD LECTOREM.



Um omnium, non modò Philosophorum, sed & Juris Consul-
torum sententia receptum sit, ut in tradendis disciplinis, à pri-
mis principiis, & ab aliis, quæ universaliora sunt, initium su-
matur, hincque paulatim ad altiora procedatur, donec ad ulti-
ma scientiæ artisve perveniat vestigia; nec aliter, scientiæ, vel
artis alicujus Studiosi, quām hisce gradibus, ad veram, soli-
damque eruditionem pertingere valeant; jure optimo à Serenissi-
mis Belgii Principibus constitutum fuit, ut in hac nostra Lo-
vaniensi Academia, non minùs ad Sacrorum Canonum scientiam adspirantibus,
quām ad Legum cognitionem animatum applicantibus, Institutiones prælegerentur,
quæ non modò prima Juris Pontifici principia contineant, sed totum velut cor-
pus, atque universalem illius cognitionem exhibeant, & quarum ductu Juris Can-
didati, ne à recto studiorum cursu in avia perducantur, veluti Thesæ quodam fi-
lo, ad altiora ejusdem scientiæ penetralia feliciter contendant.

Cùm verò ea provincia mihi demandata esset, omneque jus, quo utimur, ver-
setur, aut circa personas, aut circa res, aut circa actiones, & judicia, cœpi qui-
dem primò totum Jus Pontificium, Institutionesque in tres partes, quatuor tamen
libris ad instar Institutionum Imperialium comprehensas, dividere; in quarum pri-
ma, præmissis nonnullis de Juris derivatione, ejusque divisionibus, subdivisionib-
us, membrorumque singulorum natura, proprietate, conditionibus, atque inter-
se tum comparatione, tum distinctione, de Personis agebam Ecclesiasticis; in se-
cunda de Rebus; in tertia de Actionibus, & Judiciis. Eumque ordinem pluribus
annis fecutus sum: donec quibusdam suadentibus, satis fore, magisque è re ju-
ventutis, si ordinem amplectenter Decretalium, quo Juventus, Juri Pontificio datu-
ra operam, Librorum, ac Titulorum ordini, & continuationi assuesceret, cœpi
deinceps. obsecutus horum consilio, ea, quæ pro maxima parte diverso ordinetradi-
dideram, ad ordinem Decretalium, non sine magno labore revocare.

Cùm autem in omnibus scientiis rem ordine debito proponendam sapientissimi
quique voluerint, meritò culpantur Juris Interpretes, qui plerumque multa locis
prosperus alienis tradiderunt; imò saepius, miris modis miscendo omnia, omnis ge-
neris præceptorum, ac materiarum farraginem reliquerunt, ut, si quis rusticus hor-
deum, triticum, fabas, aliaque legumina in unum conferat, vix perturbatiorem
horum commentariis acervum facturus videatur: Ita enim, ubi de auctoritate Ma-
gistrorum agitur, aliquid de testamentis videoas; ubi de emptione, & venditione
dissentitur, de pœnis simul aliquid, aut de auctoritate tutorum invenias, nihilque
certam sedem, domiciliumque habere cernas. Unde crebræ illæ ex uno loco in
alium rejectiones, quibus, quod hic tractandum erat, ex alio petendum monent;
hinc in quo reperiendi tale quid, nisi admonitus, ne divinare quidem unquam quis
possit. Qua in parte plurimum sanè sese deridendos propinat, ut cum Terentio
loquar. Dumque ita extra chorū, ut dicitur, saltant, & septa transiliunt, Ju-
risprudentiam reddent intricatissimam, & obscurissimam; efficiuntque, ut diligenti,
& avido Lectori sit difficillimum, & operosissimum, quid quoquo loco ab iis
dictum sit investigate, & saepè etiam diligentissime, & avidissime perquisita adhuc
desideret.

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padova.

Concedemo licenza à Lorenzo Baseggio Stampatore di Venezia, di ristampare il Libro intitolato : *Andreae Vallenensis Paratitla Juris Canonici*, stampato l'anno 1732. con licenza de' Superiori dal medemo; osservando gli ordini in materia di Stampa.

Data li 3. Marzo 1744.

(Z. Piero Pasqualigo Ref.

(

(Marco Foscarini Cav. Proc. Ref.

Registrato in libro à Carte 28. al num. 181.

Micheil Angelo Marino Segr.

Alvise Legrenzi Segr.
contra la Bestemmia.

ANDREÆ DE VAULX J.U.D.
ET SS. CANONUM PROFESSORIS ORDINARII
P A R A T I T L A,
S I V E S U M M A R I A
ET METHODICA EXPLICATIO
D E C R E T A L I U M
D. GREGORII PAPÆ IX.

P R O O E M I U M.

§. I.

Acceptiones Juris variae, & origo illius.

1. *Jurisconsulti diligentissimi etymologiarum investigatores.*
2. *Juris acceptiones & derivationes variae.*
3. 4. *Jus à justitia recte dici, secundum Jurisconsultos.*
5. *Satisfit Grammaticorum regulæ, & objectioni.*

2.



UONIAM, Ulpiano J. C. teste, in l. I. D. de *Justitia, & Jure*, Juri operam daturum prius nosse oportet, unde Juris nomen descendat; eaque ab antiquorum Philosophorum, tum Jurisconsultorum consuetudo semper fuit, ut diligentissime inquirerent etymologiam nominum, & cur unaquaque res, hoc, aut illud nomen sortita esset; sed quod nomina, si recte imposita sint, ex eodem naturae fonte, quo ipsarum rerum definitio- nes hauriantur, sintque rerum ipsarum cognoscendarum instrumenta, non abs re me facturum putavi, si, acturus de jure Canonico, altius exordiar; &, priusquam ad Titulos librorum Decretalium veniam, nonnulla de Juris derivatione, ejusque divisionibus, subdivisionibus, membrorum-

que singularium natura, proprietate, conditionibus, atque inter se tum comparationibus, tum distinctionibus, præmisero. Eoque magis, quod secundum Cicer. lib. r. *Officio. omnis*, quæ à ratione suscipitur, de re aliqua institutio, debeat à definitione proficiisci, ut intelligatur, de quo discepatur.

2. Ideoque, ut inde exordium capiam, sciendum, quod prout juris sunt variae acceptiones, de quibus Paulus J. C. in l. penult. *D. de Just. & Jure*, & Joan. Andreas in Novella, *Non est novum de Reg. Juris*: ita & secundum eas variae quoque derivationes assignari possint.

3. Et quidem, ut omittam alias ad propositum minus spectantes, si *Jus sumatur pro lege* (prout sumitur in §. *singulorum Inst. De rer. divis. in can. Jus generale Dist. 1. in verb.* *Lex autem juris* scilicet scripti, est species; & dum dicimus: *Hoc, vel illud est certi juris, illud facti*) recte dicitur à Jusu, seu Jubendo, quia lex in jussu, seu imperio superioris est posita. Si vero sumatur, ut est idem, quod *justum*, non quidem in ea generali acceptione, qua *justum* idem est, quod *legitimum*, seu *legi consonum*, (quo pacto formaliter acceptum, est objectum formale obedientiae, quæ idem expressè vult, vel facit aliquid, quia est lege præceptum, vel statutum; materialiter autem sumptum est ma-